

Continet versionem turcicam operis *Kithāb-iksīr-es-seūdāth fi esrār-el-ibādāth* (Elixir felicitatum in arcanis earum rerum quibus Deus colitur), quam anonymus jussu *Amūr-Beg* Veziri ita adornavit, ut voces arabicas, quas *Amūr-Beg* in versione ejusdem operis a se ipso facta intactas reliquerat, quot et quatenus posset, turcice redderet; sed quum multae versionem non admitterent, eas omnes in glossario praemisso, quod ordinem antiquiorem literarum arabicarum sequitur, turcice explicavit (usque ad f. 105 v.). Hinc opus ipsum incipit, quod divisum est in tres *muqaddemāth* s. isagogas, de Deo, et octo *lāi'hāth* s. elucidationes, de arcana vi ac natura earum rerum quibus lex Muhammedana Deum coli jubet. — Inter f. 14 et 15 aliquot glossarii folia exciderunt.

No. 8. Cod. mixtus foll. 158, fol., quo continetur *Sa'dii Bosthān*, char. neschi binis columnis scriptus A. H. 980 (Chr. 1572—3.). Liber a Sa'dio ipso, ut in praefatione legitur, absolutus est A. H. 655 (Chr. 1257.), medio Beiramo posteriore. Cf. Codd. 154, 160, 226 et 260. *Bosthān* pertinet usque ad f. 136 r., et circum eum in exteriori paginarum margine exstat ejusdem auctoris *Gulisthān* (cf. Codd. 33, 34, 43, 78, 228, 242, 267, 330 et 342), cujus scriptio absoluta est in urbe *Hamāth* (Epiphania syriaca) A. H. 979 (Chr. 1571—2); deinde *Kithābi-tha'rīfāth*, Liber definitionum, arabice, abruptus ille in media litera *'āin*; post eum *Commentarius Surūri in Gulisthān*, arabice, jussu Mustafae, fil. Solimani I., scriptus, et ipse a librario inchoatus tantum (cf. Cod. 242); hi tres quidem char. minuto diwani-neschisi scripti. Inde a f. 137 r. adjecta sunt aliquot carmina persica *Ferīd-ed-din Attāri* et *Mir-Chosrewi*, vocabularium persico-turcicum *Schāhedii*, versibus conscriptum (cf. Cod. 221, No. 2., et Cod. 235, No. 3.), et carmen arabicum *Ibn-Fāridhi*, haec omnia char. neschi scripta.

9. Cod. arab. foll. 122, fol., char. neschi scriptus in Moldavia, regnante ibi *Dūkā-Beg*, a Sacerdote Thoma fil. Metrophanis, Metropolita *Halébensi*, in usum Neophyti, Metropolitae

Adrianopolitani, continens quatuor *Evangelia arabice*. Versio est eadem quam ediderunt Erpenius et Waltonus.

No. 10. Cod. turc. foll. 155 (olim 164, sed post folium secundum novem alia excidere), fol., char. neschi scriptus et vocalibus instructus, continens *Muqaddemēi-Mewlānā-Qotb-ed-din Ibn-Muhammed* (Isagogen Magistri nostri *Qotbeddini* fil. Muhammedis, sc. in partem practicam theologiae Muhammedanae), quae quinque capitibus de totidem religionibus externis, deinde duobus capitibus de vitiis et virtutibus exponit. Cod. abs. A. H. 965 (Chr. 1557—8). Cf. Cod. 132.

11. Cod. pers. chart. orient., foll. 285, fol. max., continens paraphrasin interlinearem et elucidationem persicam trium primorum capitum Corani, auctore *Abū-Bekr Athiq Ibn-Muhammed Es-Sūrājānī*. Versiculi coranici scripti sunt charact. *ḡulḡi*, cetera neschi.

12. Cod. turc. foll. 175, fol., char. neschi scriptus, in fine mutilus. Est particula decerpta e media versione turcica vasti operis arabici de vita et rebus gestis *'Antharae*. Sed pedestrem tantum orationem interpres turcice vertit, versus passim inspersos intactos reliquit.

13. Cod. turc. foll. 190, fol., char. diwani minuto scriptus, continens *Acili-thewārīchi-ūli-'Oḡmān* (Syrma Annalium gentis Othomanicae), auctore *Muhammed Ibn-Hosein Ibn-Nafū'h*, pertinens a morte *Muradi IV* et inauguratione *Ibrahimi* (A. H. 1048, Chr. 1639) usque ad A. H. 1081 (Chr. 1670—1), quo *Muhammed IV* adhuc regnabat. Auctor illo tempore vixit, et hunc nostrum Codicem ab eo ipso scriptum esse, haud dubiis indiciis constat. — Codici adjecta sunt haec: 1) Apographum epistolarum publicarum, quae omnes ad A. H. 1026 (Chr. 1617) pertinent, foll. 17, fol., char. diwani. 2) Libellus foll. 23, fol., char. neschi scriptus, continens Commentarium turcicum in delectum 366 versuum e libro mystico *Meḡnewī Djelāl-ed-din Rūmīi*, a *Mewlānā Jusuf Sīneh-tschāk* institutum et *Djezīrci-meḡnewī* inscriptum. Commentarium jussu Sultani *Selīm* confecit Der-